



V, 82.

2.417a




CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
**HERMVNDVRORVM**  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XXVIII

---

VT  
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI  
DOMINI  
**FRIDERICI CHRISTIANI**  
MARGGRAFII. BRANDENBURGI. PRUSSIAE. DVCIS  
RELIQVA  
PATRIS. PATRIAEC. CLEMENTISSIMI  
DIEM. NOMINALEM  
D. V. MART. CCCLXVI  
QVA. PAR. EST. PIETATE. CELEBRENT  
CVRIAEC. PROCERES. CIVES. Q  
CVM. SVO. CVRIANO  
OBNIXE. ROGAT  
EIVSDEM. RECTOR  
**P. D. LONGOLIVS.**

CVRIAEC. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP



## PARS I.

## HERMVNDVRORVM TERRA AN AD ALBIM?

Particula II.

## Index dictorum.

§. II. Vnde *Albis* aliis dictus?

§. III. Vnde nobis?

## §. II.

**A**libis nominum incunabula 1.) ubinam? Qui 2.) sibi plauidebant  
in τῷν Ἀλυβάντων, 3.) Ἀλύεας, 4.) Ἀλύζη 5.) inuenisse, non  
quod pueri in faba, eos iam sibilarent emunctioris nasi. 6.) Miror  
effugisse istis hominum *Alpim*, de quo exstat: 7.) Εκ τῆς κατύπερ-  
θε χώρης Ουερίων Κάρπις ποταμὸς καὶ ἄλλος Αλπις ποταμὸς  
πρὸς Βαρένην ῥεόντες ἀνεμον, καὶ εὗται ἐκδιδόσται ἐς Ἰσηρον. Quantum enim  
bet π α se in vicem distant? 8.) Istis autem Romanorum 9.) priscis  
*Albis*

1.) Quae anquirere superuacaneum,  
nec vsum habere, existimauit Zschakui-  
tius in Illust. Antiq. German. Cap. III.  
§. 7. Obsrv. l. p. 116.

2.) Quorum rationes, quas praeten-  
debat, in apricum posuit Albinus nu-  
perrime aliquoties excitatus.

3.) Homer. Οδυσσ. Ω vs. 303.

4.) Antiqui Scholiaetae in ista Grae-  
corum poetarum principis a Clarkio  
descripti.

5.) Eiusdem Homer. Ιλιαδ. B vs. 857.  
et eiusdem veteris Scholiaetae, item Stra-  
bonis Γεωγραφ. Lib. XII. p. 826. seq.

ex Herodoto 1509. Lib. III. Sect. 17.  
et Euflathio p. 363. restituti opera Ca-  
fauboni, qui Holsteinum in Stephanum  
p. 23. excitauit, cui addas Berkelium ad  
eundem Stephanum p. 106. v. Ἀλύζη.

6.) Qualis fuit Albino in Chron. Terr.  
Misnenſ. Tit. XXIII. p. 323. seq.

7.) Apud Herodotum 1509. Lib. IIII.  
Sect. 49.

8.) Quod si necis, patere te id do-  
cere Cortium de Vfu Orthograph. La-  
tin. Cap. III. §. XI. n. 3.

9.) A quibus pettiimus n. 2. superioris §.

*Albis nomen petitum suis ex nostratum Halb, 10.) id est, dimidium, numquam persuaderi sibi patietur, qui expertus est, illam gentem togatam plane expertem suis literarum linguaeque Germanicae. 11.) Tantum vero abest, ut res ipsa loquatur, 12.) ut Germaniam vniuersam non dum emensus fuerit, 13.) qui existimet, 14.) medium secare in duas vel ut *semisces Albim*, et hac tenus dimidiare. 15.) Nec hoc est, 16.) quod Claudianus cecinit. En eius verba: 17.)*

- - Mediumque ingressa per Albin  
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Illi autem mentem expressurus poeta scribere debuisset ad hunc modum: *Medianque per Germaniam fluentem Albin ingressa Gallica armenta Francorum montes pererrent.* Nam medius *Albis* significat medianam partem *Albis*, ut optimis quibusque veterum 18.) *prima, extrema, postrema, media pars.* 19.) Aequa negat inspectio, 20.)  
Pp 2 undecim

10.) Vnde audiisse fluuium, verius vi-  
fum est Kirchmaiero ad Taciti German.  
Cap. XXXXI. p. 414. Eius sententiae  
quoque iniecit mentionem Wachterus  
in Gl. Germ. p. 361.

11.) De quo questus sum vel ipse ego  
in Orig. Ἀνθεπογύστοι, a vulgari cru-  
delitatis crimen vindicatis §. X. Post ea  
id monuit Cel. Scheidius in Praefat. Ec-  
cadianis Originibus Germanorum praefixa p. 33.

12.) Quae loquitur Kirchmaiero  
Iulii Caesaris Scaliger iet Pontani auto-  
ritate fretto.

13.) Hinc optimo iure repudiatum a  
Iablonskio ad Taciti German. Cap. XXXXI.  
extr. sub (q), D. Lexic. Hydrograph.  
German. Vniuers. p. 136. Zschakutio in  
Illustr. Antiq. German. Cap. III. §. 7. sub  
(l) p. 115. seq. iniuria tamen in Clue-

rium, cui tribuit, quae Kirchmaiero tri-  
buenda, quippe cuius opiniois in illo  
nec vola nec vestigium cum adtentius le-  
genti relegenique.

14.) Cum iis, quos notos facit sub  
12. n. paulo ante scriptum.

15.) Repete, quae n. 10. fuere pre-  
misfa. Quanto potius Ister ita adpellan-  
dus, qui Herodoto Ἰστρος Lib. II. Sect.  
33. περι μέσην σχίζω τὴν Εὐρώ-  
πην aequa ac Nilus μέσην ταμνων  
Αἰεών.

16.) Ut fuit Kirchmaiero.

17.) Ad Stiliconem Lib. I. vs. 226. seq.

18.) Quod exemplis constat a Cortio  
Sallustii Catilinae Cap. XVI. n. 5. adscriptis.

19.) Miror nuperum editorem Lipsi-  
ensem V. C. qui varia adulit, hic nihil  
istorum exseruisse.

20.) Kirchmaieri et Iablonskii.

*vndecim* fontes 21.) in *Albim* influere, 22.) atque veros 23.) esse eius nominis natales, quasi 24.) *Elbe* Germaniam inferiorem incolentibus *Elve* 25.) sive *Elue* 26.) dictum arcesendum sit 27.) ab *Elfe*, *Else* vel *Elue*, 28.) quo nostrates *vndecim* significant, 29.) eadem nempe fiducia, qua *Elnenae* fluui ad Luneburgum inferioris Saxoniae quasi *Elven Ow*, id est, *vndecim riuulis*, quorum aquas agat nescio quas, nomen dicitur 30.) natum. Et quis de aliis fluminibus, quibus *Elbe* vel *Elue* 31.) nomen, eius modi docuerit? Quot enim numeri compararent in fluminum nominibus, si inde dicenda? Nec minus

21.) Quos ordine recensent Fabricius Rer. Misn. Lib. I. pr. p. 72. Albinus in Chron. Terr. Misn. Tit. XXIII. p. 324. item Eberhardus et Bauarus apud Polium indice Henelio Silesiograph. Cap. V. §. 37. D. Lex. Hydrograph. German. Vniuers. p. 137. in nominibus eorum a se in vicem disidentes.

22.) Ut Fabricius sibi persuaderi possit non solum, sed et Ortelio in Thef. Geograph. sub *Albi* et aliis persualit, quos inter Schilkfusius in Chron. Siles. Lib. I. Cap. I. Blauius in Geograph. Lib. VIII. Pl. R. Erberus in Notit. Regn. Bohem. Part. II. Cap. V. p. 60.

23.) Quos respuit praeter Kirchmaerum et Iablonskium ad Tacit. German. Cap. XXXXI. extr. Henelius Silesiograph. Cap. V. §. 37. p. 596.

24.) Ut pronunciarunt plerique maiorum Peucerus in Chron. Caronis Lib. III. Latin. p. 462. German. quartae formae p. 19. b. Fabricius Rer. Misn. Lib. I. princ. Iobstius in March. Brandenb. Cap. XLIII. Merkelius in Magnificentia Parthenopolitana Cap. II. Bruschius de Fichtelbergo p. 31. Zeillerus in Topogr. Bohemiae p. 47. et 142. Bachellius in Fichtelbergo suo p. 30. Pregizerus in Gent. et Regnor. ex Suevis Confin,

§. X. in Wegelini Thef. Rer. Sueuic. Tom. I. p. 265. alii, ut et indicavit Wachterus Gl. German. p. 361.

25.) Teste Henelio Silesiograph. Cap. V. §. 37. p. 596.

26.) Ut testantur Cluverius in German. Antiq. Lib. III. Cap. XXXXVIII. et Henelius Silesiograph. Cap. V. §. 37. p. 596.

27.) A qua in omnia alia discesserunt Kirchmaerus, Henelius, Iablonskius. Nec in istam sententiam iuit pedibus D. Hydrograph. Lexic. German. Vniuers. p. 137.

28.) Quae est diuersorum scriptio ex indicio Wachteri in Gl. German. Tom. I. p. 365. v. *Eif.*

29.) Quod aequo commonstrauit iste Germaniae Aristarchus ut et aliis, Eccardum puto, ad Paetum Legis Salicae Tit. LXXX. p. 114.

30.) Mercatori ab Hondio in publicum producto in Atlant. p. 267. cuius somnia redarguit Eccardus de Orig. German. Lib. I. §. XXVII. p. 53. seq.

31.) Quorum indicis partibus fungitur saepius nominatum Lexicon Hydrographicum German. Vniuers. p. 145.

minus frustra sunt 32.) ab *albedine Albis* adpellationem petentes. 33.) Quae autem ratio nominis imae Germaniae a Latinis vix audi-  
ti 34.) sine remotissimae ab eorum finibus atque commercio terrae  
flavii? 35.) Sed et *albicantiores* multo vndas lster vehit, vnde potiori  
iure nominetur. 36.) Quin immo quod non fluminibus inde nomen,  
quippe quibus a natura, nisi fuerit aliunde infecta, *alba aqua?* Nec  
constat, *Albis* fontem olim audiuisse *Weisbrun*, vt is ab *allo* no-  
men sit sortitus. 37.) Atque minus vereor, ne quispiam sit, cui  
persuadecatur, 38.) *Albim* Bohemis ea de causa dici *Laham*,  
quia *noves patiatur*, nisi quem lateat, longe serius immigrasse 39.)  
in Bohemiam Slauos, quorum est *Laba*, quam *Albis* fuerit audita, 40.)

## §. III.

Adeo autem abundantibus ingenio miror spectrum illud 1.)  
famosissimum, quo plebecula credula sibi imponi patitur, quasi se  
iactet vel vt in aula sua illo giganteo, 2.) in quo *Albis* caput, 3.)  
non submonuisse nominis originem, quippe quod Suecis et Anglis  
est *Aelf*, *Elf*, *Alf*, *Alp*, nec Germanorum vulgo ignotum pro dae-  
mone

Pp 3

32.) Cuius accusauit iam Kirchmaier-  
rus ad Tacit. Germ. Cap. XXXXI. extr.  
p. 413. immo iam ante Merkelius in Ma-  
gnif. Parthenopolit. Cap. II.

33.) Quos ante eundem Kirchmaier-  
carpit *Albinus* in Chron. Terr. Mif-  
nen. Tit. XXIII. p. 323.

34.) *Albim* enim *nunc tantum audiri*, de  
fia actate testatur Tacitus in Germ. Cap.  
XXXXI. extr.

35.) Iure ergo summo iam Albino  
aliisque tulit repulsam.

36.) Quae est sententia aliquoties ex-  
citati Kirchmaieri.

37.) Vnius enim Lucae, qui in Chron.  
Silei. Part. VII. Cap. II. p. 2166. id me-  
moriae prodidit, auctoritas non est tanta,

38.) Ab auctore eorum, quae legas  
in Geograph. Nou. Europ. Itiner. Vol. I.  
Lib. I. Cap. I. §. 4 p. 5.

39.) Vt docuit Schoetgenius in Spici-  
leg. Diplomat. Hist. Saxon. Superior.  
Part. II. Disfertat. I.

40.) Audieris enim longe citius ab iis,  
quos superiori §. numeris 2. seqq. coegi.

§. III. 1.) Cuius cognoscendi cui tanta  
cupido, consulat Henelium in Silesio-  
graph. Cap. II. §. 18. p. 154. seqq. Fren-  
zelium de Spiritu in monte Giganteo  
vulgari nomine Rubezal.

2.) De quo praefer iis modo prono-  
catus ipse ego supra Cap. III. Sect. I.  
Interf. I. Part. I. §. III.

3.) Quod ibidem indicavi.

mone aut *specchio montano*, 4.) quod tamen ipsum nomen suum natum sit a monte, 5.) Hic enim dictus 6.) aliis atque aliis *Elf*, *Alf*, *Alp*, *Albe*, *Alben*. Vnde autem plures promanant fluvii quam ex montibus? 7.) Iuuabit meminisse, *Rhenum Rhaeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortum dici*. 8.) Quae cum ita sunt, non existimauerim, 9.) nihil vanius esse, *Albis* nomen ex *Alpibus* deducere. Nec scripturam adeo diuertere, erit persuasus, qui legisse 10.) meminerit: τὰ Ἀλπαὶ παλαιῶς θεοὶ πότεροι Ἄλβαι. Inde nomen *Albe*, 11.) aliis *A* cum *E* permutantibus 12.) *Elbe*, quod permutatis literis *B* et *F* 13.) ex *Elf*, quo Sueci 14.) et Dani 15.) *aquam fluvium* significant, 16.) Ceterum, an nomen *Elbe* sit Celtarum, 17.) neque adfirmauerim neque negauerim, dum sermo istius gentis inuestigetur curatus, aequa ac an *Albis* ex *Aa* natus. 18.)

Ex

4.) Interpretibus Diuumuiris antiquatum septentrionalium peritisimis Keyslero in Antiquitat. Septentrional. Disf. de Mulieribus Fadidicis §. LXVIII. p. 500. seq. et Wächter in Gl. German. v. *Alp* p. 39. seqq. Quibus iungas, si tanti, Schottelium de Lingua German. Lib. V. Tr. VI. v. *Alb* p. 1278. Leibnitii Collect. Etymolog. Part. I. p. 36. Loescheri Literatorem Celtam Thes. XII. v. *Alb* p. 14.

5.) Cuius causa redeas ad huius Capitis III. Sect. I. Interf. II. §. XXIII.

6.) In quo iam praeiuise video Loescherum in Literatore Celta Thes. XII. v. *Alb* p. 14. et Thes. XXXV. v. *Alp* p. 69.

7.) Cuius te ex proximo submoneant Derhamus in Phyfitotheolog. Lib. III. Cap. III. Sulzerus de Orig. Mont. §. XXXXVII. p. 37. seqq. Lesserus in Lithotheolog. Lib. V. Sect. II. Cap. I. §. 269. p. 433. seqq. Clar. Popouius de Mari Part. II. p. 193. Wolfius in Orottheolog. p. 50. et plures alii.

8.) Tacito in German. Cap. I. n. 3.

9.) Cum Kirchmaiero saepius citato p. 414.

10.) Apud Strabonem Γεωγραφ. Lib. III. p. 309. quo vtroque modo hoc nomen veteres Graecos scripsisse testari in Epitome Hermolaum et ex eo Euasthium, obseruauit Cesaubonus. Conferatur Cluenerius in German. Antiq. Lib. I. Cap. I.

11.) Ex conjectura proba Heneli in Silesiograph. Cap. V. §. 37. p. 597.

12.) Quod saepe vnu venisti, docui Cap. II. Sect. II. Int. II. Part. III. §. V.

13.) Cuius exempla adletui n. 106. ad §. X. Cap. II. Part. VII. Analectorum Brandenburgicorum p. 253.

14.) Ex indicio Wächteri in Gl. German. v. *Elbe* p. 361. atque Eccardi de Orig. German. Lib. I. §. XXVII. p. 54.

15.) Indice Iablonskio ad Tacitum Germanicum p. 157.

16.) Interpretibus istis Triumuiris.

17.) Quibus tulit acceptum Kirchmaierus de Lingua vetustissima Europea Scythoceltica et Gothicā Part. II. §. 6.

18.) De quo infra §. V. ante n. 27.

Eam vero telam ex dictorum defectu atque inopia aliquot  
menses sepositam vterius texere imposuit dies FRIDERICIS sacer,  
quo sumnum Numen flagitemus, eat is redeatque AVGUSTAE BRAN-  
DENBURGICAE DOMVI quot annis felicior.

IOANNES MELCHIOR GRAESEL natus est Acremontii sui olim  
adpellationem denuo ex suis visceribus subterraneis largius aes  
fundendo vindicantis. Eius sacrae aedis curam agere, qualis  
est vulgo sic dicti aeditu*sue* malis aeditimi, pro virium valde  
aditorum copia laudatur pater eius Ioannes Henricus, qui  
gnatum suum hunc vnicum decem abhinc annis in Curiana  
pauperum contubernio alendum commendauit. Hic in-  
claruit plerisque instrumentis musicis pariter atque ore sci-  
enter cantando, quod ipsi conciliauit beneficos, quos inter  
principem locum tuitus fuit Curiana prouinciae quondam  
Praeses Splendidissimus Illustrissimus Albertus Carolus Fri-  
dericus S. R. I. Comes et Dominus de Schoenburg. Huius  
alta mente repositus manebat amor Mineruae Curiana  
adeo, vt iste ex tot, qui Eum prensarent, solus haberetur  
dignus obeundis Cantoris Schwarzenbaco ad Salam Ipsi sub-  
iecto partibus, quibus suscipiens Optimus Comitis mors  
praematurior vnam moram ex altera in hunc vsque diem  
genuit. Ea vero nunc plane sublata suum esse iste noster ratus  
est, in ipsis CLEMENTISSIMI PRINCIPIS nominalibus *grates agere*  
*cuique debitas praemissis rationibus*, ex quibus adpareat, quod  
*non sit fraudi spartam destinatam spe serius obtigiss.* Exseque-  
tur hoc, quo omnibus auditoribus sit captu facilius, vernacula  
prorsa, qua versa in Martinalibus anni cœloccclxiii. de  
fructu et eventu Concilii Tridentini, atque binis annis ante pre-  
cibus ad Deum, vt votis pro SERENISSIMA tum AVGSTA D.  
FRIDERICI coniuge SOPHIA CAROLINA MARIA nata-  
lem vicefimum quintum obeunte nuncupatis respondeat eventus  
pacis reddendae causa Augustam Vindelicorum indicii conuentus.  
Sed et iam anno cœloccclx. qui ei primus erat in subfelliis su-  
perioris auditorii, in SERENISSIMI FRIDERICI nostri folle-  
nibus nataliciis oratione Graeca arcesserat ex prisco avno prin-  
cipes longaeuos, vt inde, longaeuitatem principis boni cedere  
in ciuium felicitatem solidiorem, doceret.

IOANNIS

◊ ◊ ◊

IOANNIS CHRISTOPHORI TRAMPLERI Musa concinet  
Teutonica, cuius aequa ac Latinae delubra quavis data  
occasione non inuita Minerua coluit. Ad utramque quam  
venam sit natus, capiant ab eo ultima in hac artium palaestra  
verba audituri, *quibus grates agat pene a teneris, vt aiunt  
Graeci, vnguiculis nutritus nostratum beneficiis in ipso laudabili  
studiorum cursu a patre Ioanne Petro desertus, qui ta-  
men viuus se ipsum vix ex mercede quotidiana tuebatur.* Re-  
colet haec denuo pia mente, cui si semper inhaeret, et Lipsia  
eum eo liberalius excipiet, quo celebratior eius est pronus  
in egenos eosdemque probos bonarum artium cultores ani-  
mus atque facultas. Rei publicae autem bene consuleretur, si  
non coeco impetu sed tales dicarentur ludis literariis, qui  
ingenium bonorum praceptorum hauriendi capacissimum ex-  
ferent, quale hic a puero per undecim annos in omnibus  
gymnassi ordinibus cuique eius doctorum abunde probauit,  
Promtus enim adeo numquam non ad exsequenda, quae magi-  
stri proponebant, fuit, vt vel plura exigenter, si aliorum desidia  
illos moraretur. Tales fructus ex adsidua bonorum, ad quos  
eum trahebat mira voluptas, librorum lectione. Sed et quo-  
ties comilitonum ditiones erant difficiles ad sumptus actuum  
publicorum faciendo, hic omnium pauperissimus reliquos vin-  
cebat voluntate, cui si fuisset pars numerorum facultas, fecisset,  
quod optabat, id est, saepius dixisset frequenti auditorio.  
Et tamen non potuit a se impetrare, quin, quod numquam  
antea quispiam nostrorum discipulorum subiit, binis retro annis  
athenaei huius Salani sub initium literarum hic renascen-  
tium inaugurati memoriam prosequeretur in aede sacra urbis  
primaria carmine Teutono non inuenusto, quale iam anno  
ccccclxxiiii, quo altioribus audiendis dignus censebatur, pro  
rostris scholasticis protulerat in sollennibus repurgatorum fa-  
crorum ergo habitis, laeto forsitan augurio, pro rostris sacrif-  
bene olin esse staturum.

Hac vero obportuna occasione *Plauensi Dobenaui archidiaco-*  
*natum nuperime a quadam ei subreptum vindicabo ego docu-*  
*mentis omni exceptione maioribus.*

◊ ◊ ◊

Yb 4473

KD 18

ULB Halle  
006 302 904

3



2c



B.I.G.

Farbkarte #13



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
**HERMVNDVRORVM**  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XXVIII

---

VT  
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI  
DOMINI  
**FRIDERICI CHRISTIANI**  
MARGGRAFII. BRANDENBURGI. PRUSSIAE. DVCIS  
RELIQVA  
PATRIS. PATRIAEC. CLEMENTISSIMI  
DIEM. NOMINALEM  
D. V. MART. CCICCLXVI  
QVA. PAR. EST. PIETATE. CELEBRENT  
CVRIAE. PROCERES. CIVES. Q  
CVM. SVO. CVRIANO  
OBNIXE. ROGAT  
EIVSDEM. RECTOR  
**P. D. LONGOLIVS.**

CVRIAE. REGNITIANAE  
LITERIS, IOANNIS. ANDREAE, HETSCHELII  
GYMN. TYP

